



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1658

§. 196. Et ille scit, quia vera dicit, vt & vox credatis. v. 35.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

hisdem Apostolorum, sed incredibiliter plures testimonium perhibuerunt verbo, & prædicando. Vnde disco, me, si velim sincerum, de aliqua re gesta per hominem habere testimonium, non debere tam spectare, qui dicant, sed inquirere in talem qui viderit, qui ad fuerit. Illi sanè fidi potest, cæteris, qui solum audierunt, tantum credi potest, quod audierint, quam verò sæpe male intelligatur, quod auditur, hoc norunt, qui sciunt, quantam verba loquentium (vt pote signa ex instituto, quæ maximas habent obscuritates & noctes) soleant habere ambiguitatem & fraudis opportunitatem, quibus malis sæpe accedit, tam loquentis quam audientis summa in vi verborum imperitia.

O Deus, da obsecro fidelibus tuis recta sapere, & inter tot narrationes & relaciones quæ in dies audiuntur non desipere, sed hoc semper prudenti distamine sectari, vt in auroptis, seu rei ipsius spectatores inquirent, & quid illi retulerint intelligant. Facit hoc tua ô Deus Ecclesia Catholica diligentissime si in sanctorum catalogum aliquis referendus postuletur, Examen diligentissimum sit & inquisitio ex ijs qui viderunt. Si de alijs sit processus habendus, in isto discutiantur oculati testes. Imitemur nos pusille sapientes istam prudentiam matris nostræ, quam ei inculcauit S. Ioannes, allegando testimonium eius qui vidit,

§. 196. *Et ille scit, quia vera dicit, vt & vos credatis, v. 35.*

Iam dixi de præstantia testimonij quod oculati testes dicunt, inter tales testes passionis Domini erat Ioannes qui scripsit hoc Euangelium talis scit melius quam is qui solum fando audiuit, non igitur est attendendus Marcion, non Manes & quicumque alius, qui non interfuit, & S. Ioannis testimonio contradicit. Huic non est credendum. Si tamen fuerit aliquis, qui de passione Domini aliquid dixerit, quod S. Ioannes non testatur, quidem, veruntamen neque negat, istud credi, ipse non verat, non enim ipse solus omnia dixit, sicuti in fine sui Euangelij prudentissime annexuit, dicens mundum non posse capere omnes libros qui essent scribendi, si omnia quæ Christus Dominus egit & dixit, cum suis circumstantijs & modis essent conscribenda. Credi igitur potest tunc S. Matthæo, S. Marco S. Lucæ S. Petro S. Paulo de eadem re scribentibus, quia S. Ioannis testimonio non contradicunt, sed ab eo omnia subinde narrantur vel cum eadem narrant quæ ipse alijs verbis breuius copiosiusve exponunt. Hanc igitur ex Christi Domini suggestione Regulam veri discernendi tenet Ecclesia. Qui cum Christo non est, contra ipsum est. 2. qui non est contra

Y

Apo

Apostolos & Euangelistas pro ipsis est. cum igitur Marcion, & Manes & Arius, & Nestorius & Wiclef, & Huls, & sequaces eorum sint contra Apostolorum aliquem vel Euangelistam, eos Ecclesia non recipit. recipiunt Doctores, qui contra Apostolos & Euangelistas non sunt, etsi aliquid dicant, quid Apostoli vel Euangelistæ non scripserunt quia idem multa verbo tenus docuerunt quæ discipuli eorum scripserunt. Hæc est viarugia, in qua cæcus non errat.

Domine Iesu gratias ago tibi, quod me in hac doctrina & praxi ecclesie tuæ à iuuentute mea erudiri & edncari dedisti. Conserua obsecro in me beneficium tuum, & illud etiam ad alios potenti tua dextra extende & propaga.

§. 197. *Facta sunt enim hæc vt scriptura impleretur. v. 36.*

Iterum Iudæos conuenit S. Ioannes, postquam gentes erudijt de passione testimonio oculatorum, dicens omnia in Christo impleta fuisse quæ de vero Messia à prophetis prænuntiata ipsis Iudæis fuerant, & scriptis tradita erant, cum enim Iudæi in scriptura triumpharent, eodem ex principio Apostoli & ipse Dominus eos assidue ad credendum compellebant: non quasi alia non esset via probandi veritatem, quam scriptura istica; sed quod ipsi Iudæi sibi posuissent Regulam illam nihil nisi scripturam seu Legem suam scriptam tenere, alias nec oculis suis nec rationi consentire seu fidere. Hinc vt Paulus Athenienses ex suomet principio, quod sibi posuerant de Ignoto Deo, prudenter conuenit, ita Apostoli & Dominus Iudæos, ex suo proprio principio fatigabant, donec concederent in fidem, ve eandem persequi inceperant. Hinc patet quam facie Hæretici nostri, temporis in Iudæorum principium se immerferint: in quo tamen ipso reuincuntur, dum Catholici ex ipsa scriptura quam iactant Catholicismum pulchre ostendunt, hæresin ipsorum damnatam esse remonstrant, quod cum fieri perspicue vident, ad nouas explicationes contra ipsa lexica recurrunt, ne vincantur. Non itaque sensus est S. Ioanni quod ideo facta sint illa in Christo, quæ audimus, solummodo vt scripturæ satisfieret.

Quis igitur crederet sanguinarios milites omnis eruditionis expertes, scripturarum in scios omnia perulanti insolentia molientes, à Christi crucifragio abstinuisse, vt scriptura impleretur. Quomodo enim hoc agerent, vt scriptura impleretur, cum non solum hoc in scripturis nunquam legissent, sed ne scripturas ynquam scirent esse. Ita etiam cum supra

audis